

Prologus

fo. i.

Incipit prologus in legēdas sanctorum quas collegit in vñ frater Jacobus ianuenſis de ordine predicatorum.



Universus

tempus presentis vite in quattuor distinguit. scilicet in tempore deviationis, renovationis sue revocationis, reconciliationis, et peregrinationis. **T**empus deviationis fuit ab Adā postquam a deo devianit, et duravit usque ad Moysen, et istud tempus representat ecclesia a septuagesima usque ad pascha, vñ et tunc legitur genesis liber, scilicet in quo ponitur deviatio primorum parentum. **T**empus renovationis sue revocationis incepit a Moysen: et duravit usque ad natiuitatem christi: in quo homines per prophetas ad fidem revocati sunt et renovati. **E**t istud tempus representat ecclesia ab adventu domini usque ad natiuitatem christi, vñ tunc legitur Isaias ubi de hac revocatione aperte agitur. **T**empus reconciliationis est tempus in quo per christum sumus reconciliati. **E**t istud tempus representat ecclesia a pascha usque ad penthecosten, vñ et tunc legitur apocalipsis ubi plene agitur de misterio huius reconciliationis. **T**empus peregrinationis est tempus presentis vite in quo peregrinamur et in pugna semper sumus. **E**t illud tempus representat ecclesia ab octava penthecostes usque ad adventum domini, vñ tunc leguntur libri regum et machabeorum, in quibus de multiplici pugna agitur per quam nostra pugna spiritualis signatur. **T**empus autem illud quod est a natali domini usque ad septuagesimam: partim continetur sub tempore reconciliationis quod est tempus leticie, scilicet a natali usque ad octavam epiphanie, partim sub tempore peregrinationis, scilicet ab octava epiphanie usque ad septuagesimam. **E**t potest accipi hec quadruplex temporum variatio. **P**rimo penes quattuor temporum distinctiones, vñ hyems referatur ad primum, ver

ad secundum, estas ad tertium, autumnus ad quartum. **E**t ratio appropriationis satis patet. **S**ecundo penes quattuor partes diei vñ nos referatur ad primum, mane ad secundum, meridies ad tertium, vespera ad quartum. **L**icet autem prius fuerit deviatio quam renovatio: tamen ecclesia omnia officia sua potius incipit in tempore renovationis quam deviationis, scilicet in adventu potius quam in septuagesima. **E**t hoc duplici ratione. **P**rimo ne videatur incipere ab errore: tenet enim rem et non sequitur ordinem temporis, sicut et euangeliste sepius faciunt. **S**ecundo quoniam per adventum christi omnia renovata sunt, propter quod tempus istud dicitur tempus renovationis. **A**pocalypsis, xxii. **E**cce ego nova facio omnia. **L**ongue igitur in hoc tempore renovationis ecclesia omnia officia sua renovat. **E**t igitur huius ordo temporis ab ecclesia distinctus servetur. **P**rimo agemus de festiuitatibus que occurrunt infra tempus renovationis, quod tempus representat ecclesia ab adventu usque ad natiuitatem domini. **S**ecundo de illis que occurrunt infra tempus quod partim continentur sub tempore reconciliationis, partim sub tempore peregrinationis, quod tempus representat ecclesia a natiuitate usque ad septuagesimam. **T**ertio de illis que occurrunt infra tempus deviationis, quod tempus representat ecclesia a septuagesima usque ad pascha. **Q**uarto de illis que occurrunt infra tempus reconciliationis, quod tempus representat ecclesia a pascha usque ad octavam penthecostes. **Q**uinto de illis que occurrunt infra tempus peregrinationis, quod tempus representat ecclesia ab octava penthecostes usque ad adventum domini. **E**xPLICIT PROLOGUS. **I**ncipit legenda sanctorum que longbardica nominatur historia. **E**t primo de adventu domini.

Adventus domini

per quatuor septimanas agit, ad significandum quod est quadruplex adventus, scilicet in carne, in mente, in morte, et ad iudicium. **A**ltima autem septimana viri finit, quod sanctorum gloria que dabitur in ultimo ad-

